



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri


La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<http://books.google.com>



40 873 3686/1  
Disputatio Philosophica.

D E

CORPORIBVS  
SIMPLICIBVS, IN  
ALMA ET CATHOLICA  
INGOLSTADIENSI ACA-  
DEMIA publicè proposita.

PRAE SIDE

CORNELIO ADRIANI  
SOCIETATIS JESV, AC PHI-  
losophiae Professore ordinario.

RESPONDENTE

F. IOANNE CHRYSOSTOMO  
HVTTLERO, ORDINIS D. BENEDICTI IN  
MONTE SANTO PROFESSO, LIBERALVM  
artium ac Philosophiae Baccalaureo.

ANNO DOMINI CIC. ID. XCV.  
die Novembris.



INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.



## EPIGRAMMA.

# AD RELIGIOSVM ET PERDOCTVM F. IOANNEM CHRYSOSTOMVM HVTTE- RVM DISPVTA NTEM.

**V**T diuus quondā Benedictus, lucida mūdi  
Vno confexit sidera clausa globo;  
Sic tu, naturas rerum, causasq̄e latentes  
Nōsti, quas cursu torquet uterque polus.  
Ac velut in tenuem cœlestia corpora Sphærām  
Arte Syracosius contulit ille senex;  
Sic conclusisti Thesibus quæ maximus æther  
Continet, & clari Regia celsa Fouis.  
Ac velut altus Atlas humeris cœlosq̄e rotatos  
Sustinet innixos, præcipitesq̄e polos;  
Non aliter Physicæ propugnas dogmata, &  
Sustentas totū quicquid ubiq̄ viget. (arte  
Verus es ergo Syracosius, Benedictus & Atlas.  
I sequere inceptas accelerando vias.



ANNO 2013

<36605888510014>

Bayer. Staatsbibliothek by Google

Bayerische  
Staatsbibliothek  
München



# ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,

D. DAVIDI ANDECENSIS COENOBII

(VVLGO MONTIS SANCTI) ABBATI

vigilantissimo, Patri suo omni  
obseruantia colendo.

**A**DMODVM Reuerende Pater. Ut  
hoc leue munusculū, quod submisē  
offerō, male dentatorum hominum  
morsus effugiat, opto euidem, vix  
spero. Quid enim inquiet, Monacho cum Ly-  
cao? Eremum colat & in ea caleste numen, vanis  
hinc studiis nuntiū mittat. deducunt enim men-  
tem ab illo rerum conditore ad condita, à salute  
ad perniciem. Parcius ista quaso. non hoc dis-  
plinis, non studiis tribuendum, sed illis, qui finem  
quarunt quem non querunt illa: Scientia finis  
semper bonus, Scientis vero tum primum cùm il-  
le bonus. Itaq; ut vinum quantumuis firmum  
ac generosum à putido cado vitium trahit, &

A 2

contra

## Epistola dedicatoria.

contra à medicato odorem, sic litteræ in homine  
malo sordescunt, in bono splendescunt. Exemplo  
sit, ut sexcentos tacitus præteream, Bonaventura,  
Albertus Magnus & cum primis Angelicus Thomas, qui litteras ita tractarunt ut in  
eis principes sint, ita vixerunt ut sancti sint. Sed  
hos ego Blaterones R. V. Patrocinio & R. P.  
Cornelij Doctoris mei tutela, tam facile vinco,  
quam difficulter alij me obseruantia in R. Pa-  
ternitatem vestram; cui longam & fælicem vi-  
tam ex animo precor.

F.      R.      P.

Obediens Filius

F. JOANNES CHRYSO-  
STOMUS HUTTLER.



# DISPUTATIO PHI- LOSOPHICA DE CORPO- RIBVS SIMPLICIBVS.

## THESIS PRIMA.

**V**tura est disputatio, de toto vniuerso, conflato ex quinque corporibus simplicibus, finito pfectione, iuxta ac magnitudine, multitudine, & duratione: Quia fatendū, quicquid à Deo factum est, manere infra diuinā virtutis eminentiā & perfectionem; posse eum & potuisse hunc mundum vnicum magis perficere, saltem quo ad perfectionem ascititiam accidentium, partium integratium, & earum rerum, quæ totum vniuersum eiusq; bonum & decorē tuerentur augentique; posse item Deum, & simul & temporis successu, alios atq; alios, & plures, & maiores, & perfectiores mundos procreare, infinitè abeundo, syncategorematice.

### II.

Constituitur autem totum vniuersum ex quatuor vulgatis elementis & cœlo, siue potius cœlorum aggregato, in quo Sphæræ hoc ordine se mutuo consequuntur: Empyrium, Primum mobile, cœlum Crystallinum, Firmamentum, cœlum Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ; quæ singula corpora, ut evitetur vacuum, sunt contigua & veluti cœparum tunicae sibi mutuo incumbentia.

### III.

Cœlum Empyrium est beatorum domicilium, maximè præ reliquis influxus suos in mundum inferiorem demittens, immobile, & iuxta illud Apoc. 21. Ciuitas in quadro posita. Reliqui oës cœli post primum mobile, motu nō uno, sed multiplici in orbem

circumeunt. Quinimò, si circulatio illa impediretur, breui oës motus actionesque inferiorum corporum interciperentur. Est autem motus in gyrum ccelo, tam ex parte materiæ, quam etiā formæ, perinde atque quies naturalis, secundùm communem & veram Philosophorum opinionem.

## IV.

Quapropter, Primum mobile 24. horarum interuallo, super duos mundi polos, ab ortu per meridiem ad occasum, & iterum ab occasu per medium noctem ad ortum perenni vertigine cietur, secumq; omnes inferiores orbes circumducit; è contra reliqua Sphæræ inferiores, simul motu aliquibz proprio super alios polos sine ullo strepitu & harmonia circumaguntur secundùm certas & determinatas periodos.

## V.

Porrò, cœli superiores hosce suos motus inferioribus imprimitur, vt v.g. motus trepidationis firmamenti etiam communicatur orbibus inferioribus, non tamen conuertuntur inferiores planetæ conuersione superiorum; eò quod eorum deferentes sint eccentrici, vt enim saluetur illa motuum varietas & tarditas, Planetarum aspectus, accessus, & recessus, tribuerunt vnicuiq; orbi Planetario Mathematici tres circulos sive orbes, vnum Eccentricum simpliciter, & duos Eccentricos secundùm quid, nec nō Epicyclum, &c. de quibus plura mathematici.

## VI.

Et cum cœli nulla anima, nec rationali, nec sensitiva, nec vegetativa, informati sint, consequens est, eos non à forma interna & substanciali in orbem agi; mouentur itaq; ab intelligentia assistente; cuius virtus & potentia motuia secundùm Aristotelem in ea cuiusq; cœli parte collocatur, in qua rapidissima vertigine circumvoluitur. Et licet primum mobile de facto ministerio forme intelligentis immediate in circulu rapiatur, potuit tamen à Deo circumagi sine cōsortio ullius causæ secundæ: & quin de facto eidem motui opem & operam vna cum intelligentia motrice subministret, nemini dubium videri debet. Nonnulli arbitrati (& hallucinati) sunt totam cœlestium corporum machinam ab una torqueri intelligentia, nos vnicuique orbi propriam tribuimus cum Aristotele.

## VII. Et

*VII.*

Est cœlum primum omnium elementorum, & nobilissimum quolibet corpore vita experti; sphæricum; compositum naturale; ex parte materiæ & formæ à rebus sublunaribus & aliis corporibus simplicibus diuersum; durum; solidum & densum in se, rarū verò respectu stellarum; actu indiuisibile, eadem tamen quantitate, qua reliqua affectum; nulli motui, dempto locali, obnoxium; nec generabile, nec corruptibile; nec graue, nec leue.

*VIII.*

Ad astra quod attinet, inanimata illa sunt, nec terrenis humoribus aluntur; rotunda, specie ab aliarum rerum cœlestium & sublunariorum natura distincta, sunt densiores cœli partes, omnes; præter solem, partim de sua, partim de aliena luce lucentes; quæ forma substantialis eorum non est. Circumferuntur naturaliter ad motum ipsius orbis, cui, seu nodus in tabula, infixæ sunt.

*IX.*

Colores, quos astra & cœli sortiuntur, germani non sunt, sed lux non nihil attemperata, vel à diuersa solis distantia, vel à maiori minoriue raritate, vel demū ab alia atq; alia medij cōstitutione; per quod species ad oculos traiciuntur eisq; colores emētiti affinguntur. Primas qualitates ex iis profectas non nisi virtute & eminenter continent. Omnia versantur in firmamento, præter septem planetas, quorum singuli singulis cœlis inferioribus affixi inerrant.

*X.*

Hic mundus inferior cōtinuus est cum cœlestium corporum lationibus, vel ipso Aristotele autore. Ex quo proinde deprehenditur, cœlos & astra, præsertim planetas, sustinere partes non tantum vniuersalis, sed & particularis agentis: ut videre est in ranis, muribus, & aliis huiusmodi animalculis, quæ si ex putri materia educuntur, ut particulares; si verò ex semine, ut vniuersales causæ concurrunt.

*XI.*

Verum, per quid vim suam in res has sub Luna constitutas exerunt? Primo, per motum & lumen, deinde etiā per alias quædam occultas virtutes & reconditas operationes, quas physici influentias appellant; quarū beneficio & afflatu mineraliæ terra viscera

viscera profundunt. Vt vt tamen agant, influere in intellectum hominis, eiusq; voluntatem flectere directè non valent.

*XII.*

Non imprimuntur autem influentia æthereis corporibus à virtute motrice; quid enim aliud iis præter impulsu iniicit? sed iis, ab optimo rerum omnium conditore ab initio donata atque ornata extitère. Lux, operando in hæc inferiora calorem efficit; vehementiorem, si radius sit cōflatus ex directo & reflexo; secus, si ex directo tantum. Motus calorem non per se, sed per accidens inducit, quatenus concitato suo cursu aëris partes rarefacit, extenuat & atterit, quas deinde rarefactiones, extenuations & attritiones calor comitatatur.

*XIII.*

Positionum differentiæ, de quibus Arist. 2. de cœlo cap. 2. sunt diuersi modi, quos partes in toto obtinēt; & numerantur omnino sex; Antè, Retro, Sursū, Deorsum, Ad dextrum, Ad sinistrū. Bifariamq; distribuuntur, & in eas quæ sunt ex natura rei internæ & quæ ex natura rei externæ. Illæ, considerantur penes diuersam naturam & modum partium quas habent, vel respectu motus nutritionis, sensationis, & lationis; vel lationis tantum. Hę, ad aliquid extra se positum comparatae, vel dicunt relationem ad animalia & maximè homines; vel ad diuersa naturalia elementorum loca.

*XIV.*

Primæ differentiæ, ex natura rei internæ; siue attendantur, penes tres diuersos motus, siue localem tantum, non propriè, sed metaphoricè, & per quandā quasi analogiam in cœlestia corpora cadunt; quatenus vid. vna earum pars magis, aut minus influxu suo mundum inferiorem perficit. Secundæ, ad homines collatae, et si cœlo conueniant, commutantur tamen, prout nostrorū corporum latera, nunc in hanc, modò in illam partem demigrant.

*XV.*

Differentias positionum, alias atq; alias Philosophi & Geographi, alias Mathematici, alias denique Poëtæ assignant. Geographi eis Aequatorē degentes, vt terræ situm ex altitudine poli suis delineamentis adumbrēt; antè, polum Arcticum; retro, Antarcticum; ad dextrum, Orientem; ad sinistrum, Occidentem habent.

habent. Easdem differentias, eodē penē modo, Physici assignant; & daclarant per hominem supinum iacentem caputq; ad Austrū pedes ad Boream porrigitētem. Astronomi, stellarum cursus contemplantes, vertūt sese ad circulum Aequinoctialem, & à dextro latere illis occasus, à sinistris ortus sīstitur. Poëtæ cum occasum siderum inquirunt occidentem intuentur, & à dextris Septentrionem, à sinistris Meridiem acquirunt.

*XVI.*

Relicto cœlesti, ad mundum sublunarem descendimus: qui constituitur ex igne, aqua, aëre & terra vulgatis elementis & sese in mistionem ingerentibus; Est autem elementum, corpus sensibile, ex quo in existente indiuisibili in alia specie diuersa aliquid primum componitur, & in quod iterum vltimō resoluitur. Necesse igitur est, vt ex eo aliquid cōponatur, deinde vt ei rei quam componit insit; tandem etiam, vt sit primum, ex quo sit mistum & vltimum, in quod resoluitur.

*XVII.*

Ignis, sub concauo Lunæ, cui inter elementa Princeps dignitatis locus debetur, aërem omni ex parte ambit; estq; substantia simplex, ex materia & forma composita. Perinde discrepat à nostro igne ac aqua à concretione libera à gelu constricta. Est enim, inquit Arist. 2. de Generat. tex. 21. nihil aliud quam superabundantia caliditatis, sicut glacies superabundantia frigoris. Hic sub aspectum cadit, ille non; hic intensius agit propter materiæ densitatem; ille secus, ob eiusdem raritatem.

*XVIII.*

Naturaliter autem corrumpitur, cùm marcessit; violenter, cùm aqua perfusa impetu extinguitur; à maiori igne, aut non interimitur aut per accidens, quatenus eum multitudine sua obruit, oculisque eripit. Si ab eo aër arceatur, extinguitur. Diutius in umbra quam ad solem expositus, conseruatur. Potius ab alia quam aqua marina extinguitur. Sursum petit, assumpta figura pyramidali, vt medium facilius diuidat. Puluerem sulphureum in vasis tormentariis accendit & rarefacit, rarefactus locum capaciorem desiderat; quem vt acquirat, sit via vi. Ignis frequens, minus sudorem elicit foras, quam infrequens.

*XIX.*

Aér tribus distinguitur regionibus; Suprema; maxima, quæ ob caloris vehementiam ferè regioni ignis annumeratur, procreat meteora ignita. Media; frigida, pluuias nubes, niues, grandines, progignit. Infima; calida, propter radios solares repercos. Et in hac nebulæ, pruina ros, &c. generantur. Aér aliquamdiu terræ cauernis detentus, vitium contrahit; & erumpens, nocet, nunc aubus, nunc cæteris animantibus, nunc homini tantum, prout fuerit temperamentorum inæqualitas. Eius vicissitudo, & mutatio caloris & frigoris, à cœlestium corporum lati-  
nibus dependet.

*XX.*

Principio, aqua ceu locus locatum amplexu suo terram circumfudit; pòst nutu & imperio Dei Opt. Max. ob bonum commune positi sunt ei termini, quos non transgredietur, neq; conuertetur operire terram. Psalmista cùm dicit; Congregans sicut in vtre aquas maris, & ponens in thesauris abyssos, argumento est, mare nec effundi, nec cum violéta detineri, sed sinu quodam & quasi hiatu ita coërceri, vt terra adhuc præmineat. Ex natura sua centrum terræ non expetit, si tamen pateret aditus, ad idem contendere. Continuò, si cōmoueatur, minus putredinem affumit. Epota multa & celeriter, minus sitim restinguat; facilius natuum calorem absumit, viuensque suffocat.

*XXI.*

Terra, veluti rerum domina in medio vniuersi, multa cum quiete & innata quadam immobilitate, etiam cœlorum iniuriis pulsata, consistit. Comparata ad firmamenti aliorumque cœlorum complexum, viçé puncti subit. Vna cum aqua conficit sphæram disformem, & non omnibus numeris absolutam, Propter hiulcas quasdam & prætumidas terræ partes; In initio creationis mundi perfecta quidem fuit, sed tertia die, qua Deus aquas in vnum coëgit locum, & terræ visceribus inclusit, eiiciendæ erant montium moles, vt terra excauata aquas exciperet.

*XXII.*

Observatum etiam est sapenumerò, cliuos, præruptas eminentias montesq; in altum sublatos fuisse, vel ab insolenti aquarum inundatione, vel à terræ motibus, vel etiam ab effrenata vento-

ventorum violentia, &c. Quod terra in medio conquiescat cæteris paribus nobilior est, & expetibilius, quam si in orbem circumferatur. Cur non omnis ferat omnia tellus; Cur India mitat ebur, molles sua thura Sabæi, Et Chalybes nudiferrum, &c. prouenit ab alia atque alia terræ constitutione, alia atque alia cœlestium corporum constellatione atque influxu.

*XXXIII.*

Terræ diameter, supra 6070. aquæ verò profunditas vix 3. continet millaria; si audierid sunt præcipue classis Mathematici, & nautæ, qui totum propemodum Oceanum traiecerunt. Qui igitur purgabitur Arist. proportionem inter elementa statuens? vtique afferendum eum proportionem illam, aut de quibusdam elementorum qualitatibus densitate nimirum & raritate, aut de eorum mutuis generationibus & corruptionibus pronunciasse; non de profunditate, in qua talis proportio nulla est, cum elementa etiam vicina sese multis partibus superent vnumquæ alterum magnitudine multum excedat.

*XXXIV.*

Conficiunt, vt dictum est, aqua & terra vnum corpus sphæricum habentque idem centrum magnitudinis, & idem centrum grauitatis, quorum illud est punctum, à quo omnes linea rectæ ad peripheriam protractæ æquales, saltem quo ad sensum. Illud verò est punctus medius aliquis, à quo linea rectæ fluentes corpus in partes æquè graues secant. An autem ille ipse punctus, qui est centrum magnitudinis sit cœtrum grauitatis, etiam multis agunt Mathematici. Pars negativa plus probabilitatis habet.

*XXXV.*

Elementa siue secundùm se spectentur, siue penes ordinem, quem ad totius vniuersi aggregatum habent, sortiuntur figuram rotundam, quæ nihil aliud est, quam terminus ipsius quantitatis. Vere simile tamen non est partes eorum induere, aut totius, aut alterius corporis determinatam figuram, id quod in quovis globo in partes diuiso ad oculum patet. Nec affirmamus ea, vel penes vtramque, vel penes alterutram superficiem exquisiti, & Mathematici globi figuram habere. Si enim à centro magnitudinis vniuersi ad superficiem conuexam terræ, vel etiam terræ & aquæ simul sumptæ linea duceretur, non oës forent intersese æquales

Mathematicè loquendo. Idem iudicium esto de conuexo aëris: proindeq; illa corpora à vera globi ratione deficiunt.

*XXVI.*

Mouentur autem elementa, quando loca naturis suis debita petunt, non à se ipsis, cum hoc proprium munus sit vita; sed à generante, tanquam à causa principali efficiente motus: agés enim quoduis tribuens alicui rei in primo statim generationis instantे esse, censemur eidem etiā (ne videlicet videatur in necessariis deficere) dare, quidquid ad naturalem ipsius dispositionem in eodē generationis instanti pertinet. Et cum esse in suis locis, vel ad ea ferrī, si fortè inde dimoueretur, sit quædam dispositio, quæ elementis debeatur in primo generationis instanti, efficitur ut generans censeatur vim quandam, & virtutem relinquere elementis, quæ postmodum debitè mouantur.

*XXVII.*

Dissident autem & motus & loca elementorum specie inter se, nam iuxta Arist, doctrinā omne corpus simplex, simplicem sibi motum & locum proprium vendicat. Et quidem ignis fertur sursum simpliciter, terra deorsum simpliciter per lineā breuissimam; aër & aqua sursum deorsumque comparatè. Mista autem sursum aut deorsum agitata, non à se, sed ad motum elementi prædominantis moueri dicuntur.

*XXVIII.*

Horum quatuor simplicium corporū virtutes motiuar, genetice, sunt duæ, grauitas videlicet & leuitas: specificę, quatuor, leuitas simpliciter, & grauitas simpliciter, grauitas secundūm quid, & leuitas secundūm quid. Definiuntur ab Arist. 4. de celo, textu 26. hoc modo. Graue simpliciter, quod omnibus subsidet. Leue simpliciter, quod omnibus supereminet. Graue secundūm quid, quod quibusdā subsidet. Leue secundūm quid, quod quibusdam supereminet.

*XXIX.*

Verūm hæ motrices qualitates, licet elementis vbiique locorum insint, eæ tamen elementa, quæ pura sunt, & ab aliorum elementorum concretione soluta, & in locis à natura tributis, nec grauia, nec leuia in actu secundo reddunt: securus si impura, & ab aliis castigata fuerint, hoc enim modo nihil impediet, quo minus etiam in suis locis grauitent aut leuitent, partesq; grauiores vrgeant

*De corporibus simplicibus.*

vrgeant & comprimant minus graues, leuiores nitantur contra minus leues.

*XXX.*

Quod ad qualitates elemētorum attinet, communis est sententia, primò primas dari tātum quatuor: Calorem, Frigus, Humorem, & Siccitatem: quæ has quatuor requirunt conditiones. Prima earum est, vt sint vniuersales, & sensibiles mutationes crecent. Secunda, vt sint simplices nihil commercij cum aliis habentes. Tertia, vt sint agētes actionēq; vera alteratiua & corruptiua inter se pugnant. Quarta, vt cum contrarietate pugnant. Ex his quatuor conditionibus si vel vna desideretur, defleget qualitas illa à ratione qualitatis primò primæ.

*XXXI.*

Recensentur igitur ab Aristot. tex. 16. qualitatum primarum combinationes vsui inservientes non nisi quatuor; cum videlicet iungitur calidum cum sicco; frigidum cum humido; rursus calidum cñm humido; & frigidum cum sicco; ex quarum coniunctione quaternarium docet exurgere elementorum numerum. Ignis enim gaudet calore & siccitate: aër calore & humiditate: aqua humiditate & frigiditate: terra frigiditate & siccitate. Interm tamen, consentiente Arist. tex. 23. terra siccii magis quam frigiidi; aqua frigiidi magis quam humidi; aër magis humidi quam calidi; ignis denique calidi magis quam siccii naturam & qualitatem præfert.

*XXXII.*

Verum enim verò illa qualitas, quæ in elemento magis viger, ei in summo; quæ verò minus, in re missō gradu à nullo contrario fracta aut debilitata conuenit; quicquid alij dicant. Sed neq; intensa, neq; labefactata illa qualitas est alicuius elementi substantialis forma, quin potius qualitates hæ sunt virtutes quædam & passiones ex ipsis formis substantialibus dimanantes. Sed dubius hæres, calor ne ignis & aëris aliaxq; qualitates symbolæ sint eiusdem speciei? nos equidem partes affirmantes tuemur.

*XXXIII.*

Non desunt, qui frigus puram & putam arbitrantur esse priuationem caloris & siccitatem humiditatis; quorum arbitrium à nostro & omnium bene philosophantium placito abhorret.

Ducti igitur & ratione & experientia quæ in omnium oculos & sensus incurrit, afferimus, omnes quatuor primarias qualitates, calorem nimirum, frigus, humiditatem, & siccitatem, esse, non priuatiuas sed positiuas qualitates, esseq; omnes actione & passione præditas, magis tamen agere duas priores, magis pati duas posteriores. Rem ad viuum ressecando; maximæ actiuitatis est calor, minoris humiditas, maioris frigiditas, minimæ siccitas.

*XXXIV.*

Et cum hæ qualitates sint elementorum quasi semina & eorum transmutationis causæ, facile perspicitur Arist. secundo de Generat. tex. 24. bene dicere, elementa nata esse ad inuicem generari, & quidem omne ex omni, idq; cum mediatè tum imme- diatè. Ergo nefieri potest, vt amplissima ignis vel aëris regio in terram vel aquam conuertatur, & viceversa? Neutquam nulla enim virtus naturalis huiusmodi rerum naturalium metamorphosim bono communii inuehere potis est. Intelligitur igitur Arist. de particulis corporum simplicium, quæ solent vicissim substantialiter immutari sibiq; mutuo illatas iniurias propulsare; aliquando quidem mixto substanciali intercedente, aliquando acciden- tiali tantum, aliquando etiam nullo omnino cooperante.

*XXXV.*


In generatione & corruptione elementorum faciliori negotio peruenit ex symbolico ad symbolicum, quam ex asymbolico ad asymbolicum, id quod docet Arist. tex. 25. quid? quod ex duobus tertium educi queat elementum? si quando, vel unum actione sua in aliud patiens fertur; vel tertium duorum elementorum qualitates & formas propellit in suamq; naturam conuer- tit; vel demum, dissymbola penes alias atq; alias qualitates contrarias magis minusue intensas sibi inuicem agendo & patiendo aduersantur & interitum moliuntur.

*Disputatio hac de Corporibus Simplicibus typis excudi poterit,  
tanquam typis digna.*

GREGORIVS de VALENTIA, facult. Theol.  
pro tempore DECANVS.

*Idem Ego censco.*

IOAN. SALLERVVS Societatis Iesu, philosophici  
Collegij DECANVS pro tempore,



Epigrammata.

## IN ELEMENTA HIVS DISPV TATIONIS.

**V**os Elementa meis cōiūgitis artubus artus,  
Si mea meq; meus, vos quoq; tāgit amor.  
Vos Elementa meis disiungitis artubus artus  
Si mea meq; meus, vos quoq; linquit amor.  
Vos amo, vos odi, veluti vitamq; necemq;  
Vita Elementa mei, N ex Elementa mei.

---

Aliud.

## IN EADEM ELEMENTA MISTI PRINCIPIA.

Principiū petere in vitio est, fuge ponere cōtra,  
Perlegis hic aliud nil, nisi principium,  
Seu tibi sit flammæ, seu sit tibi mentio terræ,  
Aēris aut vndæ, principium est petere.

F. AVGVSTINV S PITTERICH,  
Nobilis Monasterij S. Emmerami  
professus, Log. Stud.













